

David Lobeck Jonas Nicolai

Disputatio Decima Sexta. & ultima Ex Symbolo Apostolico Verborum, carnis resurrectionem & vitam aeternam, expositionem continens

Rostochii: Typis Myliandrinis, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn785830936>


Druck Freier  Zugang



A. N. Theol.
Lobekius. 1601. 02.

2. H. - Theol. 1601 Lobek, David | a. 1
2. H. - Theol. 1602 Lobek, David | a. 2
2. H. - Theol. 1602 Lobek, David | a. 3

3



32
H

DISPUTATIO DECIMA SEXTA.
& ultima

EX SYMBOLO APO-
STOLICO VERBORVM,
carnis resurrectionem & vitam
æternam, expositionem continens,

quam
σὺν θεῷ

Sub Præsidio

Reverendi & Clarissimi Viri,
Dn. DAVIDIS LOBECHII
S.S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, & in illustri
Academiâ ROSTOCHIENSI Pro-
fessoris Publici

defendendam proponit

IONAS NICOLAI Rostochiensis.

Die 17. Martij.


Ioh. 17. v. 3.

Αὕτη δὲ ἐστὶν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν
μόνον ἀληθινὸν θεόν, καὶ ὃν ἀπίστειλας ἰη-
σοῦ χριστὸν.

ROSTOCHII

Typis Myliandrinis Anno 1602.

1602



*Amplissimis, prudentiâ, doctrinâ, & auctoritate
insigniter splendidis viris*

D. HENRICO SVLTEMIANO

&

D. NICOLAO VVINICHIO

*In inchyta curia Rostochiensium repub. Senatoribus
dignissimis, Dominis patronis & Mecena
tibus suis officosè perpetuum co-
lendis.*

NEC NON

Reverendo, doctissimo & humanissimo viro.

D. IOHANNI STREVIO

*Pastori Ecclesiæ Teiphelstorfiensis vigilan-
tissimo, affini suo longè charissimo
& fautori apprimè hono-
rando.*

*Hasce theses in perpetuum debite observantia & gratitudi-
nis μνημόσυρον reverenter offerre & submitte de-
dicare volens debuit.*



IONAS NICOLAI
R.

THESIS I.

Disputationibus Symboli nostri, $\sigma\upsilon\nu$ $\chi\rho\iota\sigma\tau\omega$ exsuperatus, reliquum est, ut receptui canentes, in Articulis de carnis resurrectione & vitâ aeternâ, quod felix faustumq; sit, vela contrahamus.

2. Qui licet in ordine postremi sint: tamen illo dulcissimus, & solatij plenissimus; hic finis omnium miseriarum latissimus, & universæ vitæ ac fidei Christianæ portus exoptatissimus est: de quibus quadam $\sigma\upsilon\mu\phi\omega\nu\alpha$ $\lambda\alpha\iota\sigma$ $\gamma\rho\alpha\phi\alpha\iota\sigma$ subsequentibus complectemur, reliqua ad Academiam cælestem remittentes, & uberiorem eorum tractationem libellis Methodicis relinquentes.
3. Futuram verò aliquando carnis resurrectionem (quæ à spirituali anime resurrectione seu ad Deum conversione, accuratis limitibus segreganda est) ex limpidiſſimis Israël's fontibus demonstrandum incumbit, contra Epicuræos Sap. 2. hos secutos tempore Saluatoris Saducæos Matt. 22. Act. 23. contra irrisores. 2. Pet. 3. & Hymenæi, Phileæi & Alexandri corruptelas 1. Tim. 1. 2. Tim. 2.
4. Hi enim rationis ductum secuti, ipsam, ut rem absurdam & impossibilem negarunt, Nos contra, verho Dei veracis & omnipotentis credimus, etiamsi $\lambda\omicron$ $\pi\omega\tau\epsilon$, quod est $\sigma\alpha\phi\eta\sigma$ $\lambda\eta\sigma$ $\alpha\pi\iota\sigma\tau\alpha\sigma$ $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\chi\omega$, non assequamur.
7. Testimonia veteris Testamenti hæc sunt Job. 19. 26. Esa. 26. 19. Execl. 37. 12. Dan. 12. 2. Os. 13.
6. Plurima & maximè illustria in Novo sunt testimonia Christi Joh. 5. 28. & 6. 40. potentissimè evincentis, quod certò mortui sine resurrecturi, quia Abraham, Isaac, & Iacob adhuc vivant Mat. 22.
7. Pauli quodq; Rom. 8. 14. 1. Thes. 4. 14. Act. 27. plenam huius articuli defensionem instituentis 1. Cor. 15. à resurrectione Christi. Si ipse resurrexit, utiq; mortui etiam resurgent. Gloria enim capitis postulat, ut & membra vivant 2. Si mortui non resurgant, Christiani tantùm in hac vitâ sperantes in Christum, omnium sunt miserrimi 3. Ecclesia omnium temporum sic credidit, & hanc suam fidem publicis ritibus testata est, sanguine & vitâ profusis.

A 2

His

8. His Dei misericordiam perfectam, ad totum hominem pertinentem, adiungimus, quæ imperfecta foret, nisi corpora resuscitata misericordiam consequerentur.

9. Non minus iusticiam Dei perfectam, quæ postulat, ut totum id, quod peccavit, anima sc. & corpus in æternum puniatur. At quomodo in æternum æternis afficerentur pœnis, à mortuis nisi resurgerent?

10. Et quia æternus Rex Christus dicitur futurus, æternum regnum habiturus, necessum est, ut æternam habeat Ecclesiam, & corpora nostra resurgant, cum non modò animarum, sed & corporum Rex sit, ut ita toti nostro Christo simus subiecti.

11. Impossibile deniq; est, corpora nostra, Dominici corporis cibo nutrita, Spiritus Sancti templa, perpetuò morti subiectum, & penitus in æternum dissipatum iri.

12. His & similibus edocti, & confirmati, definimus eam, quod sit opus Dei, quo in die novissimo, nobis incognito, mortui, per Christum, cū sanctis suis, & voce Archangeli in nubibus venturum, resuscitati, unione corporum & animarum instauratâ, prodituri sunt in iudicium, fides ac vita sua coram Christo iudice rationem reddituri.

13. Partes definitionis ad scripturæ canonem examinantes, causam Resurrectionis efficientem ex verbo revelato statuimus totam Trinitatem. Pater enim nos suscitabit mediatè per filium, Filius immediatè suo spiritu, non tantum ut verè & naturâ Deus, sed etiam ut Mediator, Spiritus Sanctus etiâ immediatè per se ipsū idem opus perfecturus est.

14. Quare, cum opera Trinitatis adextera sint indivisa, servato personarum in agendo ordine, non excluditur pater, resurrectione filio tributâ Ioh. 6. 54. 6. v. 28. Act. 17. 1. nec excluditur filius, patri vel Spiritui Sancto adscriptâ Rom. 8. 13. Ioh. 5. v. 21.

15. Quando verò futura sit, Christus Ioh. 6. 44. docet: Ego suscitabo eum in die novissimo unde Martha fratrem Lazarum extremo die resurrecturum confiteetur Ioh. 11. 24.

16. Verùm Quis sit futurus ille ultimus dies, nemo novit, ne Angeli quidem, sed solus Deus Mar. 24. 36. nec Filius iuxta naturam humanam, in tempore assumptam, quemadmodum illa tum, cum ista proloqueretur, in statu exinanitionis erat posita.

Non

17. Non minus igitur foret temerarium aliquid hic asserere, quam curiosum & impium esse inquirere, quod quidam fanatici, insanã presumptio ne ebrij, olim & nunc conati sunt, quos ipse eventus vanitatis, audacia & impietatis redarguit.

18. Credimus itaq; certò mortuorum resurrectionem, & quidem citò venturam, ponderatis signis & prodigijs, à Christo predictis, & nunc impletis Matth. 24, Luc. 21.

19. Materia quæ resurget erunt corpora morte extincta. Absit enim, teste Turtull. lib. de Resur. carnis, ut Deus manuum suarum operam, ingenij sui curam, afflatus sui vaginam; liberalitatis suæ heredem, religionis suæ sacerdotem, testimonij sui militem, Christi sui sororem, in æternum destituat interitum.

20. Formam resurrect. I. Cor. 15. Ioh. 15. I. Thes. 4. & alibi explicatam habemus. Erit manifesta simul ac gloriosa Matth. 24. Dan. 7. Apo. 1. spectantibus omnibus Angelis Mat. 35. 2. Thes. 1. & hominibus & Diabolis, cum maximã piorum læticiã, & horrando impiorum horrore.

21. Eã quoq; formã visibili, quã in celos ascendit, de celis venturus est, cum omnium Angelorum comitatu, cum hortatu & Archangeli voce & tubã Dei, cuius clangore omnium mortuorum corpora, sine ulla exceptione è sepulcris excitata prodibunt Ioh. 19. 26. Eph. 6. 8. 2. Cor. 5. v. 20.

22. Dicit quidem Daniel multos evigilaturos, sed hæc particula isthic loci non in prædicamento Relationis, pro aliquibus, sed Quantitatis, pro universã hominum multitudine Ebraicã & Gracã consuetudine tum in veteri tum in Novo testamento, Psal. 97. Rom. 5. posita, usurpatur. Et interpretem huius dicti omni exceptione maiorem habemus ipsum Christum Ioh. 5. v. 22 dicentem: Omnes vocem audient, & egredientur.

23. Alij verò ad ignominiam, quorum corpora futura sunt, non nisi contumeliæ vasa: alij ad gloriam, quorum corpora eadem, ut tradit Gregorius, per naturam, diversa per gloriam.

24. Cum enim caro & sanguis mortalis & corruptibilis hereditatem

A 3

regni:

regni Dei non consequentur I. Cor. 15. 50. resurgere ab omni corruptio-
ne, mortalitate & vitio immunia.

25. Tunc non competet humano corpori amplius φθορὰ sed ἀφθαρ-
σία: non ἀτιμία sed δόξα: non ἐν ἀδυναμίᾳ sed ἐν δυνάμει, ad perficiendas Spiritus actiones, sine ullâ defatigatione, prærens resurgens: non erit ψυχικὸν sed πνευματικόν, Spiritu Sancto plenum, ad omnes actiones Spirituales obeundas paratum.

26. Et hæc quatuor dotes, sicut & gaudium & beatitudo, eodem planè gradu omnibus erunt communes, etsi iuxta laborum differentias, gradus in caelis fore credimus ex dictis Dan. 12. 3. I. Cor. 2. & 15. unde Aug. In celo alius alio gloriosior: in inferno alius alio miserior.

27. Superstites verò adhuc in Domini adventu, mirâ celeritate ex corruptibilitate ad incorruptibilitatem transibunt, & non mortem quidem ipsam, sed morti quiddam ἀναλογον patientur. Et, ut Ambrosius in I. Thes. 4. inquit, in ipso rapto eorum mors erit & Resurrectio, ubi anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddetur.

28. Quibus actis transactis, utriq; vivi & mortui unâ ad Christi tribunal sistentur & iudicabuntur Ps. 96. 10, Act. 10. 42. pii & impij sine ullâ προσωποληψία 2. Cor. 5. 10. sed hac conditione, ut hi veniant in condemnationis: illi verò in absolutionis iudicium.

29. Finis huius Resurrectionis ultimus erit patefactio gloriæ Dei: Misericordie in Electis, qui in fide usq; ad finem vitæ perseverant & salvantur. Iusticie in reprobis qui in finali impietate perseverant & damnantur. Proximus, illorum salus & glorificatio: horum verò pena & abiectio.

30. Nunc articulum de vitâ eternâ extremis duntaxat digitis attingemus, in ordine postremum, quia post alios implendus, & reliquorum veluti est effectus, siquidem propter hunc alij creduntur omnes, & hoc sine in iis omnia, quo ultimum hunc credamus & consequamur, hoc est, vitâ eternâ fruamur.

31. Esse autem vitam eternam, negat ἄθεος ἑμπάσις, credit autem & confitetur is, qui non πῶς λέγει οὐκ, sed πῶς εἶναι Christianus est.

Vivum

32. Virum eius exemplum est Enoch, vivus ab hominum consortio in vitam aeternam translatus Gen. 5. 24. Elias 2. Reg. 2. 9. probatur Ex. 3. 6. confuetur Iob. 19. 25. David Ps. 16. 11. Es. 25. Daniel 12. 23. Liber Sap. 5. 16.
33. Quid clarius dulcisonis ipsius Christi verbis Iob. 3. 15? similiter cap. 6. 40. 11. 25. 17. 3. Matt. 25. 21. Luc. 9. 24. I. Pet. 1.
34. Confirmatur Epithetis, ut quod dicitur domus Domini Ps. 84. Mons Domini Ps. 15. regnum patris Matt. 13. 25. vita caelestis, beata Rom. 8. Col. 3.
35. Hac quoque, missis ceteris, ratione. Si enim talis vita non esset futura, non assequeretur. Deus suum finem, requirentem, ut homo restaretur ad imaginem Dei & templum aeternum, in quo celebretur; nec bonis perfecte aliquando bene, nec malis perfecte male esset. Sed hoc asserere prorsus ἀλογοὶ καὶ ἀσεβεῖς Luc. 16. 25. I. Thes. 1. 6. 3.
36. Philosophia denique pulchra suppeditat argumenta, quibus omnis ad quest: τί ἐστὶν progredimur. vitam aeternam à tergo in verbo, seu speculo, aspicientes, & hoc modo eam describentes.
37. Quod sit visio Dei, quâ Electi cum Christo & sanctis Angelis vivunt & regnabunt, immunes ab omni molestiâ in sempiterna gloriâ, latitiâ limpidissimâ, iusticiâ castissimâ, Dei noticiâ illustrissimâ, adeoque beatitate perfectissimâ.
38. Causam efficientem principalem esse Deum aeternum & omnipotentem, ex sequentibus claret Mat. 25. Eph. 1. Esa. 25. Apo. 7.
39. Προημερῆ, quâ permotus, nobis miseris & indignis, vitâ beatâ largitur, est gratuita eius bonitas, immensus amor, immensa charitas Iob. 3. Iob. 4. Eph. 2.
40. Προκαταρκτικὴ, est non meritum nostrum, nec virtutes, nec opera nostra, sed Christus qui solus est scala Iacob, & unica vita praebens ingressum in caelorum regnum Gen. 28. Iob. 1. 10. & 14.
41. Unde error Romanensium manifestius evadit, qui vitâ aeternae consequendae vias propemodum commenti sunt innumeras.
43. Instrumentum in nobis, quo promissam apprehendimus hereditatem, est SOLA FIDES in Christum Iob. 3. Ps. 2. Apocal. 2.
- Quare

44. Quare huius vitæ hæredes futuri sunt soli Electi. permanentes ad extremum vitæ halitum fideles, non simul saniores Ethnici ut Aristides, Socrates. Numa, Scipio, &c. cognitionis ac fidei in Christum expertes, quemadmodum Zwinglius, Gualtherus, Erasmus, Thammerus & alij sunt nugati.

45. Materia in qua, erunt animi & corpora Electorum, planè ab omni malo liberata, & omnium bonorum plenitudine à Deo completa, expedita, lucida & indefessa actionum & laudum divinarum organa.

46. Hinc videre est. gravissimè Simonianos, Valentinianos Marci. onitas & alios, Pauli & Tertulliani tempore degentes. errasse, singentes solas animas ad Deum in hac vitæ conversas, & post mortem superstites, vitæ æternæ hæredes esse.

47. Nec opinandum, animas absq̃ gaudij sensu ad diem usq̃ iudicij dormire, sed quàm primum suo ergastulo solvuntur, æterno perfruantur vitæ beatæ gaudio Mat. 22. Luc. 16.


48. Quod ipsum Latroni promittit Christus his verbis: Hodie mecum eris in paradiso, & hanc ob causam Paulus Phil. 1. cupit ἀπαρῶσαι ἡμῶν ὅτι ἔστιν ἡ ζωὴ τοῦ Χριστοῦ ἐν ἡμῶν.


49. Non tamen ambigimus gaudium illud animarum ex corporum coniunctione perfectum & completum iri. Vnde animæ beatorum cum desiderio suorum corporum Resurrectionem desiderant.

50. Formalis causa non erit corporum voluptas, ut Mahometani delirant, sed visio Dei, eaq̃ non nuda, sed integrâ cum Deo conformitate coniunctâ, ut uno aspectu omnia quæ ad absolutissimam nostram corporis & animi perfectionem pertinent, simus cognituri.

51. Finales sunt ut bonitati veritati & iustitiæ Dei satisfiat, postulanti, ut quæ promissa fuerat tam bonis bonorum, ex libero Dei dono & gratiâ sua dona in nobis coronantis, quàm malis malorum operum merces plena cuiq̃ reddatur, & ut Christus regnum suum gloriæ, suosq̃ ei ves gloriosos habeat, & pij singuli in amissam Paradisi possessionem à Christo omnibus & singulis promeritam, restituantur & collocentur.

52. Quam nobis omnibus largiatur DEVS ter Opt. Max. per Iesum Christum, in secula seculorum benedictum Amen.





ardens, utraq; enim unum idemq; obiectum sibi habet proprium nimirum cum uniuerso suo merito.

30. Subiectum in quo fides justificans ut qualitas habet voluntas, & cor hominis, Act. 8. v. 37 Proverb. 3. v. 5.

31. Causa formalis est ipsa fiducia, qua misericordia Dei & in fide, in verbo Euangelij oblatum nobis applicamus, inq; eo a

32. Causa finalis est salus nostra 1. Pet. 1. v. 9. finis fidei & vita aeterna, item celebratio nominis Diuini, iusticie &

33. Effectus eius sunt, gaudium in Spiritu sancto, pax & licitas conscientie, quam Paulus in omnibus suis Epistola precatur, ex qua oritur *παρρησία*, qua libere & cum fiducia accedimus, Eph. 3. v. 12. 1. Ioh. 2. v. 28.

34. Neq; tamen statuendum, fidem justificare quatenus in sese, tanquam virtus quedam, habitus, aut qualitas innotetur, sed quatenus relate & proprium suum obiectum & corpe Christum eiusq; meritum respicit & firmiter apprehendit

35. Porro partes seu gradus vera & saluifica fidei tri sunt videlicet seu noticia omnium articulorum doctrine Christiane *ἀληθεία* seu assensus, qua non solum omnes doctrine Christiane cognoscimus, sed etiam ipsidem assentiuntur, & in his promissis amplectimur. 3. *πίστις* quae est fiducia, acquiescentia Dei, & certo statuens, sibi peccata remitti propter meritum eius. Col. 2. v. 2. Heb. 6. v. 11. & 10. v. 22.

36. Tertia haec pars continet formam fidei, eiusq; naturam Abraham Rom. 4. optime declarat, quod sit eiusmodi fiducia Dei ob peccatum consternata, generales Euangelij promissione peccatorum, iusticia & vita aeterna sibi quoq; in hisq; sese erigit, consolatur, & confirmat.

37. Hi tres gradus ad substantiam seu qualitatem fidei ita requiruntur, ut ab inuicem diuelli nequeant: neq; enim noticia nimirum, eam constituit, siquidem communis ea esse potest infidelibus, Christianis & hypocritis, imo ipsis diabolis, &

